D. Petro Hübnero 311)

Salutem!

Gaudeo, charissime D. Petre, quod antiquae nostrae necessitudinis memor, nullas ad me scribendi occasiones praetermittis. Ego vicissim id praesto libenter, etsi non raro occupationes variae me impediunt. Me vel invitum à Collegio meo, cui annos 14 totos servio, ad professionem pertrahere tentarunt aulici justo et Academici, sed dispari studio. Acceptavi quidem, sed ante Michaëlis diem migrare non possum: quanquam aula animi pendet. Vellent me professionem cum inspectione Sapientiae conjungere, quia nondum vident idoneum successorem. Non tamen omnes id vellent, nec ego id volo, aut possum, si vellem *. Deum oro, ut dirigat consilia superiorum. Video enim turbari indies gravius omnia. Vehementer laboramus ex capite: vere dixero, ἐν βασιλέοις ἐν ἐρασ βάρεσιν. Orate Deum, ut servet Ecclesias nostras: et sanet caput ac membra: quia vix aliquid ὀρθῶς. Quasi nostri, ut potius juniorem aliquem Theologum, et in his Lignaridum vocarent, sed frustra. De Junio revocando nonnulli etiam dum cogitant. Ego nil praeter summam perturbationem metuo, nisi nos Deus servet. Putabam vestros etiam pace Gallicana comprehensos: sed audio bellum cum Sabaudo eos reparare. Utinam Deus vobiscum pugnet contra tam pertinaces hostes. De pace quidem illa prudentiores parum sperant. Artes Pontificis et Hispani non sunt obscurae. Ordines tamen Hollandiae et Angli nondum sibi metuere dicuntur, sed foedus ad defensionem reparasse. Nunc agitur conventus Legatorum imperii Francofurti de pace Belgis persuadenda. Sed respondebunt hi, si sapiunt, quod prius, sine dubio: Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps. Hortensium nondum audiveram viris exemtum. Putasne in ejus bibliotheca latere Lexicon Tremellianum? Saluta ex me D. Trogum. Deus suo Spiritu te tuosque diu servet et laboribus vestris benedicat. Vale, mi frater, et me, quod facis, ama. Raptim Heidelbergae ipso Laurentii Anno 1598.

Immanuelis Tremellii Lexicon Hebraeum ἀνέκδοτον.

Eidem D. Hübnero 312)

Salutem!

Varie, mi D. Frater, accepti sunt à nostris ὀνειδισμοὶ vestri quaternis literis Illustrissimo nostro et Senatui Ecclesiastico inculcati. Atqui his non erat opus, cum etiam absque iis res impetrari potuerit. Quod prius responsum ex voto non accepistis, non ad offensionem vestram pertinere debuit, sed necessitati nostrae imputari,